

G. Kolben rohr, narrenkolben, liesz-knospen. Gall. *Mafse*. A. Cattys-tayle, Reede Mafe.

TYPHODES, est febris symptomatica continua & ardens in qua primo statim die ægri copiosè sudant, sudore ipso parum aut nihil allevante ; hinc sudorisera vocatur ; velut ab inflammatione viscerum, ex $\tau\delta\varphi\omega$ fumus & $m\circ$ forma.

TYPHOMANIA, est delirium cum phrenesi, & Letargo, ex $\tau\delta\varphi\omega$ incendo, effero, & $\mu\alpha\tau\alpha$ furor. Vide *Coma Vigil*.

TYPHONIA, idem quod *Typhomania*.

TYPOS, sive **PERIODUS** & **CIRCUITUS**, est ordo febrium, constans ex intensione & remissione, à $\tau\delta\varphi\omega$ verbero, tundo.

TYRIA, idem quod *Ophiasis*.

TYRIASIS, idem quod *Elephantiasis* & *Satyriasis*.

TYROIDES, vide *Thyroides*.

TYROSIS, est quando lac comedunt, in materiam caseosam coagulatur, à $\tau\delta\varphi\omega$ caseus. B. Haag-achtigheid.

V.

VACCARIA, est planta in pratis proveniens : forte nomen à vacca, quod à vaccis admetur. B. *Deur-was / deur-blad*. G. Durchwachs, bruchwurtz. Gall. *Perfoliate*. A. Thorouw-waxe, Cow basil.

VACCINIA, **VACCINIUM**, sic vocatur viola, quæ nomen habet ab Io, quæ in vaccam mutabatur : atque Io significat vaccam, unde *Vaccinia* illud nomen sibi etiam adscivit uva ursi, sive *Myrtillus* : idque à baccis *Buccinia*, & mutato. B. in V. *Vaccinia* manet. Vide *Viola*.

VACUATIO, vide *Evacuatio*.

VACUI DIES, sunt, quibus rarissima & imperfecta ac mala crisis plerumque contingit : iisque sunt 6. 8. 10. 12. 16. 18 ; quibus nonnulli addunt 22. 23. 25. 29. 30. 32. 33. 35. 38. 39. Hi Medicinales appellantur, quod in iis medicamenta exhiberi possint, verum illi dies hic loci non observantur tam exacte.

VAGA ARTHRITIS, vide *Arthritis Vaga*.

VAGINA UTERI, dicitur & *Matrix*, uteri ostium, uteri cervix, Αὐτῆς, Γανακίον, Κόλπῳ Γανακεῖῳ. Est

meatus ille, cui virilis in coitu penis inditur, non aliter quam vaginæ gladius aut culter; sita est in regione pubis, figura oblonga; magnitudo, pro aetate & Veneris usu variat. Crasities ejus in superiori parte latitudinem straminis adaequat, in inferiori verò propter accretionem, eandem duplo vel triplo superat. Latitudo, qualis recti intefstini, internè nervea & rugosa. Perforatur plurimis porulis, praesertim in inferiori parte circa meatus urinarii extum, lacunæ, ut circa urethram, ita & in tota vagina, uterique cervice hinc inde reperiuntur, setas saepè admittentes, & liquidum mucosum excernentes. B. *Die scheide der mutter.* Gall. *Le Vagin, ou le grand Conduit de l'Uterus, ou le col de l'Uterus.* A. *The sheath of the womb.*

VAGINA PORTÆ, idem quod *Capsula Glissonii.*

VAGINA HEPATICA, idem quod, *Capsula Communis Glissonii.*

VAGINALIS TUNICA, vide *Elythroides.*

VALERIANA, est planta, quæ habet caules tenues, rotundos, excavatos, ramosos; folia conjugata, quedam integra, alia profundè laciniata: flores monopetalii, infundibuliformes, multifidi, in summitate caulium, in umbellas vel spicas congesti sunt: post singulum florem unicum semen nascitur, ut plurimum oblongum ferè planum, pappis instructum: radix est oblonga, rugosa, digitum crassa, superficie geniculata, foris ex cinericeo fusca, intus pallida, numerosis fibris dotata, saporis acris, aromatici, odoris fragrantis & gravis, qui ad Nardum accedit. Gr. Φίλη, & Νάρδος Αγρια, à Valere sibi nomen adscivile videtur: quia eā utentes se à venenis defendunt: insignibus enim & plurimis pollet viribus. *Nardus* dicitur ab odore radicis. G. Ratzen-kraut, & augen-wurtzel, quod sc. catti odore radicis ejus, quo eorum oculi roborantur, intense delectentur. Vide *Phu.* Gall. *Valeriane.*

VALERIANELLA, est planta, quæ habet caulem debilem, rotundum versus terram repandum, rubicundum, striatum, excavatum, nodosum, ad singulos nodos uplurimum in duos ramos divisum, & hi rursus in alios minores ramulos: folia sunt oblonga, tenera, delicata, colore herbaceo, nullo pediculo appensa, interdum serrata superiora, sapore subdulci & insipido: flos est mono-

pe-

petalus, infundibuliformis, & calici insidens; qui abit in fructum monospermon, femina continentem compressa parumper, in summo acuta, & per obliquum rugis quibusdam exornata, albicantia, satis magna pro plantulae modo: radix parva, fibrosa, alba: crevit haec planta in regionibus calidis, est diminutivum à *Valeriana*.

V E E L G U T T A, est Oreoselinum: quasi dices *Multibona*: est vox composita ex duabus Belgicis vel Germanicis: à *Veel goed* / vel *viel gut*; quia planta est ad plurimos morbos utilis.

V A L E T U D I N A R I U S, est is, qui optimâ sanitate non fruitur, verum continuò morbis obnoxius est. Gr. Νοσόδης, Νοσηματίνης. B. *Ziekelpf.* G. Einer der immer siecht und kranckt. Gall. *Maladif*, *Valetudinaire*, *Infirme*, *subject à être malade*, *mal fait*. A. Sicklie, subject to Sickness.

V A L G U S, est is, cui pedes vel crura extorsum versantur. Vide *Blaesus*.

V A L E T U D O, est partium nostri corporis qualiscunque sive bona sive mala agendi dispositio. B. *Welvarendheid* / *gezondhied*. G. *Gefundheit*. Gall. *La Santé*, *une bonne Santé*. A. *Health*.

V A L V U L A E, sunt membranulæ tenues in vasis aut corde sitæ, valvam referentes, à varia figurazione variam denominationem accepere, ut *Sigmoides*, *Semilunares*, *Tricuspides*, *Mitralis* &c. reperiuntur in venis, arteriis, vasis lymphaticis, lacteis, & juxta me in fibris musculosis, quas nostra curiositas primo detexit, usus est sanguinem & alias liquores à regressu impedire. B. *Hlap-vliezen*. G. Fall-hautlein. Gall. *Valvules*. A. Idem.

V A L V U L A E, etiam reperiuntur in intestinis, in tenuibus & crassis, præsertim in jejunio & circa initium intestini ilei, quæ à figura semicirculares vocantur. Haec valvulae, non ut priores in corde integrum canalem claudunt, sed sunt modò eminentes plicæ, quæ quo propius accidunt ad ileum, paulatim incipiunt magis magisque obliquari, & in principio ilei minus obliquantur quam in progressu ejusdem. Similiter propè finem jejunii, plicæ sensim longius ab invicem distant: & in ileo similiter quo ulterius descendit, adhuc longius. In principio & medio jejunii vix semi pollicem distant; in ileo, pollicem integrum

& amplius. Digo impulsæ aliquantulum cedunt, & hoc atque illuc mobiles sunt. In principio coli valvula carna-fa & circularis est, & præter hanc varias adhuc obtinet colon. *Ustus* est cibos nonnihil remorari, ut melius mis-ceantur cum succo pancreatico, bile, liquore gastrico, muco Intestinali, itaque ut ulteriori assimilentur humoribus nostris, attenuentur, & quasi fermententur, chylus in lactea distribuatur, adjacentes partes calore foveantur, postremò ne iterum adscendant. B. *Val-vlezen* / *klap-vlezen*. G. Fall-hæutlein. Gall. *Valvules*. A. Idem.

VAPORARIUM, sive *ÆSTUARIUM*, est, cùm non in liquore sedet æger, sed vapor ex sella perforata exhibetur. Olla subditâ, decocto calente ex rebus morbo curando convenientibus, quantitate sufficiente parato plenâ, quo frigido, aliud infunditur. B. *Tweet-stoof*, bad-stoof. G. Bad-stub. Gall. *Bain de Vapeur*.

VARICIFORMES PARASTATÆ, epididymidibus continuae sunt, ita nominata *vafa*, quod varicum instar flexuosa, contortaque spectentur, ad majorem, ut putant feminis elaborationem. Præ cæteris nervosa est, atque tangenti duriuscula deprehenduntur, hisce continua tunt *vafa* semen ad vesiculos seminales deferentia.

VARICOSUM CORPUS, dicitur ille plexus vasorum sanguineorum, qui testiculos ingreditur. Dicitur & *Corpus Pampiniforme*, ut & *Corpus Pyramidale*.

VARIOLÆ, est morbus contagiosus, plerūmque Epidemicus, infantes imprimis corripiens, febre acutâ continuâ incipiens, cum dolore capitis & lumborum, anxietae & inquietudine conjunctus : succendentibus 3. vel 4. die punctis parvis rubris instar morsus pulicorum, quæ faciem, manus & brachia, tum totum corpus deturpant, quæ suppurantur deinde post 3. 4. ve dies, & sub epidermide cunctem exedentes, non raro fædissimas profundas foveas in facie relinquunt : oritur hic morbus ex contagio infecti communicato, vel ex aëris contagioso & ignoto statu, quo nunc mitius, nunc ferocius, sœvit. Arab. *Bothor*, *Lusitanis Besigas*. Gr. *εὐαρθρα*. B. *Kinder-pohjeg*. G. Die kindsblatters, die purpulen à colore rubro, bocken, pocken, urschlechten. Gall. *Les Petites Veroles*. A. Small Poxe.

VARIX, vide *Circos*.

VA-

V A R U S , vide *Jonthus*. *Varus* quoque sumitur pro *Arthritis vaga*; vide suo loco, item pro eo, cui pedes introrsum flexi sunt, & valgis oppositi.

V A S A , sunt canales cavi, ex convolutis in se membranis compositi, conici, vel cylindrici, per quos liquores transirent in nostro corpore ad omnes partes; ut sunt vena, arteria, vasa lymphatica, ductus chyliferus, ductus salivales &c. *Vas. Gr. A'yyōr, A'yyūr. B. Een vat. G. Gefäß. Gall. Vaisseaux, Canaux. A. Vessels.*

V A S B R E V E , vide *Breve Vas.*

V A S A C A P I L L A R I A , vide *Capillaria Vasa.*

V A S A D E F E R E N T I A , dicuntur, quæ sēmen ex testiculis in vesiculos sēminales deferunt, ex teste singulo emittitur unum, quod coloris albi, instar nervi crañios, sursū fertur per processum peritonei cum vasis spermaticis, quæ deserit circa abdōminis introitum, & reflectitur ad posteriora vesicæ urinariæ, tandemque vesiculis seminalibus infertur. *B. Zaadaanbregende vaten. G. Rehre die den saamen anfuhren. Gall. Les Vaissœux déferents.*

V A S A L A C T E A , sunt vasa tenuia in mesenterio; ab intestinis præsertim tenuibus principio minimo orta, plura minora coēunt ad angulos acutos, creant majorem fluīum, iterūm à se mutuo recedunt, iterūmque, facta insula, coēunt in canalem unum, qui mox cum similibus eadem patitur, ut indē fiant majores fistule, quæ omnes valvulis plurimis, ubique ferè interstinctæ, deindē, recta, obliqua, decussata, divisa, via, tendunt ad glandulas vagas, in mesenterio sparsas, valde molles, eo concurrunt, has intrant, velant, cingunt, sed iterūm exeunt, minus ramosæ, quæ sunt primi generis; deindē quæ secundi generis sunt ab ipsis glandulis ad sacculum chyliferum deducuntur; *Urus* est chylum ab intestinis ad sacculum chyliferum & ductum thoracicum vehere. Eorum inventor primus *Asellius* est, in quibus postea dexterimus *F. Ruyschius* valvulas detexit, quæ sunt utriculares, geminatæ semper, suā parte convexā receptaculum chyli, parte concavā venam subclaviam respicientes: præter has valvulas etiam semilunarem, aperturæ ductus thoracici in venam subclaviam appositam, ita ut cornua ejus venam subclaviam respiciant, admittentem liquidum ex

ductu in venam subclaviam, sed regressum ipsi negantem, pingit Lower. B. **Or melk-aderen / melk-vaten / chpl. vaten.** G. Die milchadern. Gall. *Les Veines lactées.* A. Milkey vessels.

VASA LYMPHATICA, vide *Venæ Lymphaticæ.*

VASA PRÆPARANTIA, vide *Præparantia Vasa.*

VASA SEMINARIA, dicuntur venæ & arteriæ ad testiculos euntes. Vulgò *Præparantia.* B. **Zaad-vaten.** G. Saamen-gefæsse. Gall. *Vaisseaux Spermatisques.* A. The Preparing vessels, seed vessels.

VASA SPERMATICA, idem quod *Vasa Seminaria.*

VASA UMBILICALIA, sunt duæ arteriæ & una vena : arteriæ oriuntur ab hypogastricis , quarum primi rami sunt; decurrent primo per latera pelvis ; post à lateribus vesicæ urinariæ, sub peritoneo : dein obliquè umbilicum versus, inter peritoneum & transversos abdominis musculos : toto hoc decursu inhærent substantiæ cellulose, quæ exteriori parti peritonæi adhæret, cujusque interventu cum peritonæo partibusque vicinis cohærent : procedunt ad umbilicum & ibi cum vena umbilicali coeunt, & substantia cellulosa connectuntur in se : una dein exente umbilico; & primo lineam albam quasi perforant; linea alba, quæ ex coniunctione tendinum transversorum & obliquorum abdominis musculorum fit, in umbilico foramen habet rotundum, tendinei marginis, quo vasa exirent; hoc foramen tam magnum est, ut non strigat vasa, nec tam facile laceretur intestina : neque multum metuendum erat, ut elaberentur, quoniam, cum fetus non respiret, neque tam valide, neque inæquabiliter premuntur : cum perforarunt lineam albam immixtum se funiculo umbilicali, is propriè cuti circa umbilicum continuatus est, quamquam & epidermis in ejus superficiem externam abeat ; sed substantia ejus plane singularis est, ipsique propria, homogenea, duriuscula, obsequiosa tamen, per hanc decurrent vasa ad placentam usque, sic ut eam sibi circumfusam habeant, & undique adnexam : unde vasa toto tam longo decursu, & conjuncta sunt in unum funiculum, & sustinentur, ne facile collabantur aut comprimantur : inde & firmior ille funiculus, è quo pendet embryo primis temporibus, quem diversimode premit grandior fetus : non recta autem per funiculum

de-

decurrunt hæc vasa, sed se quasi in spira modum contorquent, tanquam si triplex filum torqueretur, ut unitas fieret; unde per totum hunc decursum arteriæ venam contingunt, juvantque sanguinis per venam fluxum: ubi funiculus ad membranas ovi, Amnion & Chorion definit; arteriæ penetrant ad superficiem externam Chorii, & ubi penetrant, statim in ramos abeunt, qui tanquam ex centro radii, quaquâversum decurrunt per exteriora Chorii, & in ramos minores minoresque paullatim se spargunt specie radicularum: in Chorii autem superficie arteriarum venarumque ramuli mutuâ implicatione quâdam laxâque cohæsione placentam efficiunt, quæ adnexa utero, cujusque interventu ovum fætus, atque adeò ipse fætus cohærent cum matre; & quo vasa hæc propiora illi superficiëi placentæ, quæ utero adnexa, eo ramosiora & subtiliora, ultimoque ad totam illam superficiem in myriades vasorum subtilium desinunt, quæ infixa utero; & videntur ultimi arteriæ venæque umbilici ramuli se cum venis & arteriis uterinis, ad superficiem internam uteri desinentibus conjungere, & ita quidem ut ex arteriolis placentæ humores penetrare in venas uteri possint; ex arteriolis uteri in venulas placentæ: sed notandum quod ubi vasa umbilicalia ad placentam pervenere, primum ab externa superficie funiculi abscedit Amnios, post ipsa funiculi substantia se explicat, efficitque Chorion, per cuius deinde externam superficiem nudi vasorum rami, quo dicitum est modo, decurrunt, sic ut majores rami ipsi Chorii substantiæ adhærent, & quasi inhærent; minores autem qui à majoribus illis producuntur, quique sensim fiunt ramosiores, efficiant placentam. B. *Pavels aderen.* Gall. *Vaisseaux umbilicaux.*

VASTI MUSCULI, extendunt tibiam, quorum *externus* à radice tota trochanteris magni, & cruris osse subiecto: *internus* à trochantere parvo, utrinque paulò patellam infrâ ad latus Recti inseruntur. B. *De vasto spier.* G. Der starcke maufz. Gall. *Muscles Vastes externes & internes.* A. The great Muscle.

VECTIS, est instrumentum Chirurgicum, quo in fine perforationis cranii utimur, nam labiis incisi offis immittitur, ad officulum hinc inde movendum, ut vacillet, & volvella parte dentatâ auferri possit. Item instrumentum,

quod in depressionibus cranii elevandis usurpamus. B.
Hef-boom / been-lichter. Gall. *Levier*.

VEGETABILE aut VEGETANS, ita vocatur Corpus Hydraulicum, variis vasibus diversos humores gerens, quod parte quâdam suâ externâ alteri corpori adhæret, undè per hanc partem haurit materiem nutrimenti & incrementi sui: Vegetabilia proindè sunt omnes plantæ molles, frutices, arbores, mucaginiæ, lichenes &c.

VEHICULUM, vide *Ochema*.

VELAMENTUM BOMBICINUM, est lanuginosa quædam substantia interiore ventriculi, Æsophagi, Intestinorum partem, crustæ instar, aut musci villosi succingens. Alii *Vernicularem crustam* vocant; in intestinis si membrana villosa levi in aqua tepida maceretur, & crebro abluatur, & lubrica visciditas concavæ intestinorum parti adhærens detergatur, & tunc intestinum invertatur, & in liquore limpido suspendatur, tota interior intimæ tunicae facies nitidum quasi holosericum mentitur; dum scilicet microscopio in sole examinata, innumera quasi filamenta pendula totam illam superficiem obsidere videntur; ex injectionibus & variis præparationibus liqueat, maximam partem horum villorum esse tantum arteriolas & venulas minimas, ex vasculis, quæ per cellulosem internam sive juxta alios nervosam membranam decurrent, & ad internam tunicam copiosè accedunt, oriundas, accepta ab illa vagina, productas intra cavum intestini, ibidemque pendulas; omnibus simul ad extremum finem absclisis quasi & patulis. B. *De fluweele darmroß*. G. Das sammetgleiche darm hæutlein. Gall. *Tunique ou membrane veloutée*. A. Velvet Membrane of the Guts.

VENA ARTERIOSA, est Arteria pulmonalis, cuius ope sanguis ex dextro cordis Thalamo in pulmones ducitur, tres obtinuit valvulas cuspidales, ne sanguis regurgitet, è dextro cordis ventriculo oritur, ferè directè sursum ascendit, & ad curvaturam Aortæ in duos ramos laterales dividitur, quorum unus dexter vocatur arteria pulmonalis dextra, alter verò sinistra dicitur, dextra sub curvatura, aortæ procedit, hinc major est sinistra: ambae toti pulmoni impenduntur & mirè se dividunt. B. *De long-slagader / de slag-aderlyke ader*. Gall. *La veine arterieuse, ou l'Artere Pulmonaire*.

VE-

VENA CAVA, Gr. Φλάψ, E'πανθισμὸς *Eudoxo*, Διξη-
μένη *Hesychio*, species sunt Vena Cava, Portæ, Lymphaticæ, & Lactæ. Arteriæ aliquando pro venis sumuntur. Constant ex quatuor tunicis, nervosa sc. glandulosa, musculari & membranosa, & additur *Cellulosa*. Vena cava propriè vocatur trucus ille magnus, in quem omnes vene se exonerant ab Iliacis usque ad sinum venosum Cordis dextri, dein à venis jugularibus usque ad Locum eundem: ejus rami superiores vocantur. Venæ jugulares; quæ ad Brachia tendunt *Axillares*; in cor, vasa *Coronaria*, in pulmones *Pulmonaria*; sic dicitur *Hepatica*, arteria in hepate; *Phrenica* in diaphragmate; in cruribus *Cru-
ralis*; in renibus *Emulgentes* seu *Renales*, & sic à varia ramificatione variam denominationem accepit, haec format amplum, atque membrana arteriosæ simili obductum si-
num, qui in cava auris dextræ cordis, & in thalamum dextrum partim, definit. B. *De holle ader*. G. Die hohle ader. Gall. *La Veine Cave*. A. The great vein.

VENA AZYGOS, vel SINE PARI, aut JUGO, vi-
de *Azygos*.

VENA PORTÆ, est vena ex Venis lienis, ventricu-
li, mesenterii, Intestinorum, pancreatis, & omenti com-
posita, Hepar transeuns, ibique arteriæ formam induens,
ejusque crastitiem, & omnem sanguinem à dictis visceri-
bus per Hepar ferens, tandem in venam cavam definit. B.
Poort-ader. G. Die pfört-ader. Gall. *La Veine Porte*. A.
The Port veine.

VENA UMBILICALIS, oritur ab uno trium magno-
rum ramorum, in quos se vena portarum hepar ingressura
dividit; decurrit ad umbilicum, exit eo cum arteriis, cum
quibus & per umbilicalem funiculum pergit, penetratque
ad superficiem Chorii externam, inque ramos, earum ad
exemplum, ipsis etiam in universum comites abit; vena
multò major est arteriis, unitatemque ejus natura com-
pensavit magnitudine; imò major est utrisque arteriis si-
mul sumptis; & quidem juxta Cl. *Roubaultum* diameter
venæ ut plurimum est quatuor linearum, cujusque vero
arteriæ tantum duarum: descendit, recta petens umbili-
cum: cùm itaque ramus venæ portarum à quo oritur, in
dextra parte abdominis situs fit, umbilicus autem in me-
dio; à dextris descendit oblique sinistrorum: primum
au-

autem decurrit sub hepate, ut potè sub quo oritur; ibique in hepate sinus primum oblongus, per quem decurrit, factus, ne hepatis moles eam comprimeret; illeque sinus amplior est, quam venæ requirit magnitudo, quo sit ut hepar situm suum paululum mutare possit, ut mutat variâ inclinatione corporis, nec tamen prenat venam: dein pergit per fissuram, quam unam habet hepatis hominis, in imo tenui margine suo; atque hoc etiam factum est, ut liberius sit ab omni pressione; post pergit ad umbilicum per geminatum peritoneum, ad similitudinem mesenterii: cùm enim, ubi ab hepate recedit, distet aliquantum à partibus continentibus abdominis, ne indè ad umbilicum usque quasi vaga esset, produxit natura proximam partem peritonæi, eaque circumdedit venam: constat hæc peritonæi productio è duabus lamellis, quæ sibi invicem applicatae sunt; mediaque substantia cellulosa cohaerent, per quam vena incedit. Gall. *Veine umbilicale.*

VENÆ, vegetabilium sunt costæ, quæ in plantarum foliis, imo & fructibus apparent, & ramulos & humorem habentes.

VENÆ, sunt canales similes ferè arteriis figura & distributione; sunt amplitudine majores, numero fortè plures; membranis omnibus longè tenuiores, inertiores; valvulas habent, solitarias ferè oblongas, digitabili formâ utcunq; ad loca insertorum in truncum majorem ramorum, & binas ut plurimū junctas in venarum majorum truncis rectis, à corde remotoribus, atque perpendiculariter sursūm vehentibus cruentum, quæ sic facte sunt, & cavis canalium applicatae, ut humorem ex minori ramo in majorem truncum admittant, retrogressum evaneant corde contracto, molemque ferant. Ea verò vasa ipsa vitæ actione non micant, neque saliunt; habent extrema sua varia, ut in arteriis observatur, initia radicum venularum vel ex bibulis cuticulæ osculis, vel à reforbentibus in membrana omni interiore positis, vel ex arteriæ fine in venulam porrecto, vel ex similibus quibusdam singularibus, ut in pene, clitoride, liene, vel ex pulpa fortè glandulosâ. B. *Aderen.* Gall. *Veines.*

VENÆ LACTEÆ, vide *Vasa Lactea.*

VENÆ LYMPHATICÆ, vascula sunt parva, pellucida, alba, nodosa ubique ob binas valvulas elevatiles,

cavitatem exactè claudentes, quæ suam lympham à vasculis arteriosis lymphaticis, vel à glandulis congregatis accipiunt, hanc in venas sanguineas, vel in chyli cisternam exonerant. B. **Watter-vaten.** G. Wassergefäßze. Gall. *Veines Lymphatiques.* A. Lymphatik vessels, Lymphatik ducts.

VENÆ SECTIO, est sanguinis, qui in vasis continetur, per venam arte sectam, evacuatio. B. **En aderlating.** G. Das aderlassen. Gall. *Saignée.* A. Letting of bloud, opening of a vein.

VENENUM, Gr. *Φαρακός*, est omne illud quod corpori nostro communicatum, illud destruendo, sive solida erodendo, sive fluida circulationi inepta reddendo mortem adferit, ut sunt Arsenici genera, & pleraque Mercurialia deleteria qualitate praedita. B. **Fenyn.** G. Gifft. Gall. *Poison, Venin.* A. Venom, poison.

VENEREA LUES, vide *Lues Venerea.*

VENERIS OESTRUM, idem quod *Clitoris.*

VENTER, dicitur triplex *Infimus* sumitur pro Abdomine. *Medius* pro Thorace, & *Supremus* pro Capite. Vides *Cavitates*. Sed strictè sumitur pro Abdomine. B. **Buik.** G. Bauch. Gall. *Ventre.* A. The Bellie.

VENTER EQUINUS, Chemicis dicitur & sumus equinus, in quo, ob lenem calorem, suas tinturas & essemias collocant. B. **Paarde-mist.** G. Rosz-mist. Gall. *Fumier de Cheval.* A. Horse-dung.

VENTER INFIMUS, vide *Hypogastrium.*

VENTOSA, vide *Cucurbitula.*

VENTRES, vide *Cavitates.*

VENTRICULUS, est vilcus membranofsum, situm in abdomine sub diaphragmate inter hepar & lienem, hepar quidem à dextris ipsum ad unguem complectitur, lien vero à sinistris summa suâ parte adjacet: Os superius connectitur diaphragmati, mediante gulâ: qua foramine facto superiore partem musculi inferioris & sinistri diaphragmati penetrans ventriculo continuatur, tunicae nerveæ suos infigens terminos: Os inferius duodeno: Fundo ejus adhæret ala anterior omenti. Posterior est aorta: subjacet Colon & pancreas; huic tanquam molli pulvinari incumbit: tibiam utricularum figura eleganter exprimit, præsertim Oesophago intestinoque adhuc connexus; ab angusto

gusto enim ore in latam capedinem sinuatus, rursus in angustum definit; in sinistro tamen latere multò amplior, quam in dextro; ut & infernè quam supernè: dividitur in dorsum, fundum, & orificia. Dorsum vocatur illa pars inter orificia superior. Fundus illa inferior pars multò amplior & sinuosa. Orificiorum quidem alterum superius, alterum inferius nuncupatur. Superius in sinistro latere, non quod elatius situm, cùm ambo sint in ventriculi superiore regione, sed eo, quod cibum & potum prius admittat, quidam veterum cor appellantur: vocatur & stomachus: inferius alterum in dextro latere situm, ratione officii πυλωρός, sive janitor vocatur, quoniam portæ in modum ea, quæ excreturi sumus, emitit: constans ex plurimis tunicis, prima, est illa externè levis membrana, quæ totum ambit ventriculum, pro sobole Peritonæ ab omnibus agnita anatomicis, undē ipsi ventriculo non est propria, videtur hæc nata ad ventriculi robur, & firmatatem: secunda est carnosæ sive musculosa, plurimis fibris triplici serie distinctis constans, prima series transversarum statim avulso peritonæ se prodit; hæc satis numerosæ ac invicem contentæ à summo orificio incipiunt, & in pylorum terminantur: altera series est orbicularium; quæ itidem ab ore summo incipientes ad pylorum progressæ, orbiculariter vel spiraliter ventriculi cavum ambiunt; tercias series constat ex duplice fibrarum ordine, oriuntur juxta superius orificium, idque ambiunt, & à sinistra parte dorsi ipsius ventriculi, undē aliquæ per idem dorsum recta feruntur ad inferius ostium, quod & ambiunt, sed pleræque ad fundum versus idem ostium inferius: hæc cingitur & tegitur cellulosa *Ruyssiana*, quæ oleum suppeditat fibris musculosis laxandis, lubricandis, necessarium; tunc sequitur nervæ dicta à *Willisio*, sive potius vasculosa, & in non admodum distento ventriculo rugosa, quæ in convexa parte donatur mira textura vasorum, cui adhærent glandulae sive potius cryptulae quam plurimæ, quarum excretoria in concava parte ceu tot punctula atque meatus se produnt; præterea in hac concava parte conspicuntur (præsertim si in aqua calida aliquantis per demersus fuerit ventriculus) innumeri villi penduli, qui videntur tantum esse extremitates arteriarum, venarum, & nervorum; qui ultimi famis sensum vacuo ventriculo

excī-

excitare videntur. Officium in genere est cibos accipere & concoquere; vocatur item Stomachus, Aqualiculus. Gr. Γαστήρ, ἡ Αγνω Καιλία, Στέρεψα Κοιλας. B. De maage. G. Der magen, der bauch. Gall. *Le Ventricule*, *l'Estomac*. A. The stomach.

VENTRICULI CEREBRI, sunt quatuor cava in Cerebri medulla; duo anteriora distinguntur per forniciem, tertium versus cerebellum à fornicē bifurcato constituitur, quartum autem sub Cerebello medullæ oblongatae insculpit, in his cavis colligitur continuò lympha, ea humectans, quæ per pelvim deducitur partim ad glandulam pituitariam, partim per venas plexus choroidei resorbetur. B. Holligheden der hersenen/ herssengroess. G. Die hehlen im hirn. Gall. *Ventricules du Cerveau*. A. The Ventricles of the Brain.

VENTRICULI CORDIS, duo sunt cava magna, circiter liquidi 3ij capientia, in medio cordē reperiunda: ventriculus primus sive Dexter sanguinem ē vena cava & auricula sua dextra, dum contrahitur, recipit & pulmonibus tradit: Alter sive sinistru sive pulmonibus sanguinem refluxum in saccum venosum & Auriculam sinitram recipit, & per arteriam magnam in totum corpus propellit. In contractione ventricularum sive Systole, apex cordis attollitur & accedit ad basin ejus latiorem, cor pallat, brevius fit & durius, fibrae musculares ventricularum cava ambientes spiraliter in se recessunt, cava imminuant, & sic in iis contentus sanguis exprimitur: in Diastole seu expansione & dilatatione, sanguis recipitur & admittitur. B. De Holligkeit des Hertg. G. Die hoehe im hertzen. Gall. *Ventricules du Cœur*. A. Ventricles of the Heart.

VENUS, vide Cuprum, Aes.

VERATRUM, est Helleborus: dici volunt, quod mentem motam in sanitatem convertat. Vide Elleborus.

VERBASCUM, sive Tapfus Barbatus, est planta, quæ habet caulem satis altum, ramosum, durum, lignosum, crassum, lanuginosum, rotundum: folia sunt magna, longa, ampla, mollia, villosa, lanuginea, alba, quædam repentina, alia caulibus alterne adhaerentia, latiora, & hirsutiora sunt Blattariae foliis: flores monopetalii, multifidi, rotati, & tamen profundè incisi, ut ex quinque petalis constare videantur, in arctiores spicas quam Blattariae flo-

res congesti : post florem succedit capsula ovato acuminata, lanuginosa, septo intermedio in duo loculamenta dividita, femina exigua, nigra, & angulosa continentia : radix est oblonga, sat crassa, alba, lignosa : haec planta crescit in locis arenosis : puto dici quasi *Herba Barbata* : videtur mihi vocem esse contractam : sunt qui *Candelaria Regis*, *Candelariam*, *Lanariumque* nominent, quia caulis ejus adipe, sevo vel aliquo pingui illitis, nonnulli pro lucernis utantur. Vide *Phlogmos*. B. *Dolle-kruid*, Gall. *Bouillon blanc*, ou *Mollaine*, ou *Bon homme*.

VERBENA, est planta, qua habet caules angulosos, duros, aliquantulum villosos, interdum rubicundos, ramos: folia profundè incisa, oblonga, rugosa, saporis ingrati & amari: flos est monopetalus, labiatus, cuius labium superius surrectum & plerumque bifidum est, inferius vero tripartitum, sic tamen secantur ambo, ut flos quinque partitus, primo aspectu videatur: ex calice fit capsula, continens semina tenuia, oblonga, sibi invicem juncta: radix est fibrosa, oblonga, crassissima, saporis amarantis; crescit in locis incultis: *Verbenaca*, *Columbaris*, *Columbina*, dicitur quasi *Herbena*, ab Herba, quia Antiqui propriè non Verbenam intellexerunt, sed quassibet herbas in Sacrum usum destinatas. Vide *Periferon*. G. *Pzer-kruid* / *pzer-hard*. G. Eisen-kraut, eisen-reich, eisen-hart, dauben-kraut. Gall. *Vervéne*. A. Vervain, Fren-gies.

VERETRUM, idem quod *Penis* seu *Membrum Virile*.
VERMES, vide *Lumbrici*.

VERMICULARIS CRUSTA, est interior tunica intestinorum villosa & gyrosa, seu rugosa, reliquis longior, vide *Velamentum Bombycinum*.

VERMICULARIS, est sedum minus, à similitudine nempè foliorum, qua rotunda sunt, & figuræ ovalis, ut vermiculos putes, undè & *Crassula minor* appellatur. B. *Kleine donderbaart*. G. Kleine haufz-wurtz, kleine donderbaar. Gall. *Petite joubarbe*. A. Trick-madam.

VERMICULATUM, in plantis est, quod rosæ modò, quasi purpurisso, rutilat.

VERMIFORMIS PROCESSUS, est prominentia cerebelli, sic à figura dicta. B. 't *Wormwgs uitstreksel*. Gall. *Appendices Vermiformes*. A. Wormlike Processes.

VERMI-

VERMIFORMIS APPENDICULA, est canalis parvus crassitiei instar vermis oblongi, qui hiat & accrevit Intestini Cæci fundo; substantia tunicarum est satis crassa; supra Colon se contorquet veluti vermis, & peritonæi membranæ annectitur, extremitate vero suâ Reni dextro; à mesenterio autem est liber, longitudinis est quatuor digitorum, latitudinis digiti unius, intus angustissimæ capacitatis, fecernens copioſſimam lympham ex suis glandulis, que obliniendis facibus infervit; forte quoque absorbet quicquid tenuis bonique chyli huc cum fæcibus devolutum est, qui lactea vasa præterivit nimis subito. Gall. Appendice vermiculaire.

VERMIFUGA, à Verme & Fuga, idem quod Anthelmintica.

VERMIS CEREBRI, vide Febris Ungarica.

VERNACULUS MORBUS, idem quod Endemius.

VERNIX, quod & Vernisum & Sandarache, sive Gummijuniperinum vocatur. Sed aliquando vocatur sic compositio quædam liquida, inserviens obducendæ crustæ aliis rebus ne corrumpantur; sic ex lacca, mastiche, Copal, Succino, simplicibus vel mixtis in alchohole vini, oleo Terebinthinae, aut lini, coctis & solutis fit propriæ Vernix. B. Vernis. G. Vernis. Gall. Vernis. A. Varnish.

VERONICA, est planta, quæ habet caules exiguoſ, longos, nodosos, repentes, lanuginosos, rotundos: folia sibi invicem opposita, juxta caulis longitudinem nascuntur, Pruni foliis similia, villosa, in margine incisa, saporis amari & aeris: flores sunt monopetalii, rotati multifidi, ex quorum calice fit fructus membranaceus, in duo loculamenta divisus, plurima semina exigua, rotunda, & nigricantia continens: radix est fibroſa, hinc inde in terra sparsa & repens; haec planta crescit in locis petroſis & arenosis: quamvis alia sit herba quam vulgaris Betonica, tamen à Betonica videtur descendere Veronica, mutato B. in V. & t in r quod lapsu temporis ut & ab rerum ignaris facile fit. B. Err-en-pypg. G. Ehren-preifz, grundheil. Gall. Veronique. A. Luellin, Fluellin.

VERRICULARIS TUNICA, idem quod Amphibleftroides Tunica.

VERRUCÆ, sunt species tuberculorum; Gr. Αγερωγής, Acrochordones dicuntur, eo quod si vertices horum

tuberculorum inspiciantur, similes sunt resecta chordæ. *Celsus* hujus appellationis eam caufam videtur attulisse, quod in fundo sint angustiores, in summo latiores; adeò ut pendere videantur, ideoque à plerisque verrucae pen-siles appellantur. Dicuntur Porri, eo quod si inspiciantur summitates ipsorum, videntur æmulari brevia illa capilla-menta porrorum. Est tuberculum durum, eminens, è cu-te erumpens, callosum, parvum, & in omnibus corporis partibus nascens, imprimis ubi inæqualis pressio & attritus fieri solet. B. *En w̄atte / Werte.* G. Wartzen. Gall. *Verruē.* A. A wart.

VERRUCARIA, dicitur Heliotropium, quia creditur ea verrucas abigi. Sic etiam vocatur Tithymalli species, cuius succo lacteo verrucæ decidunt. B. *Zonne-wende.* G. Sonnen-wende. Gall. *Tourneföl,* herbe aux verrues. A. Turn-fole.

VERUMONTANUM, vide *Caput Gallinaginis.*

VERTEBRA, idem quod *Spondylus.*

VERTEX, est pars capitis inter synciput & occiput media altissima omnium & gibbosa. Gr. *κορυφὴ.* B. *W̄e kruin.* G. Der wirbel auf dem haupt. Gall. *Le Sommet.* A. The Tope of the Head.

VERTICILLI, idem quod *Cotyledones.*

VERTICILLUM, in plantis florum vel foliorum am-bitus, qui caulinos aut ramulos herbarum coronat, exi-stit; ab instrumenti muliebris similitudine dictum, quod fusō vertendi gratia solitum est adhiberi.

VERTIGO, vide *Scotomia.*

VESANIA, est furoris species vel delirium ex nimio amore.

VESICA, est pars membranacea cava, in qua liquor excernendus colligitur & continetur: ut Vesica urinaria, Bilaria, Seminaria. Gr. *κύσις, οὐρεόδοχος κύσις.* B. *En blaag.* G. Die blase. Gall. *Vesie.* A. A bladder.

VESICA ÆNEA, est cucurbita magna cuprea, de-stillationi plantarum inferviens.

VESICA BILARIA, est Vesicula ad figuram pyri ac-cedens, sita in parte hepatis concava, parvo ovo gallina-ceo ut plurimum similis; fundus, nobis erectis deorsum, collum verò sursum spectat, habetque quasi sphincterem peculiarem, incumbit vesicula Colo, illudque suo colore tin-

tingit; constat ex quatuor membranis: 1^o. communi: 2^o. vafulosa; 3^o. musculari, ex fibris rectis, obliquis & transversalibus 4^o. nervea, intus rugosa seu reticulata, humore unctuoſo imbuta, in qua subinde minimae glandulae aparent, quæ fabrica ductibus biliaris communis esse videtur; exit in ductum qui cum poro biliario ad angulum acutum jungitur, & sic uniti faciunt ductum communem majorem prioribus; oblique descendantem, qui ad angulos acutos appositus diodeno, penetrat exteriorem ejus tunicam, dein inter hanc & alteram descendens, mox perforata & hæc, inter secundam & tertiam longo itinerè progressus, foramine rotundo in cavum intestini libere exit, idem quod *Folliculus fellis*.

VESICA DESTILLATORIA, est vas æneum sive ahenum cupreum, superius capitello cum tubo donatum, qui inferitur tubo serpentinis ductibus incurvato; inserit destillationibus plantarum aquosis, spirituosis, decoctis &c. B. En blaag: per vesicam destillare, **Wooz ten blaag** distilleren.

VESICA URINARIA, Gr. Κύστις: est ea, quæ in viris posterius intestinum rectum habet: in foeminis vero uterum, cuius vagina alligatur, semper extra abdomen in loco tutissimo à concursum ossium sacri, Ileon, Ischion, & Pubis formato, & mediante supra expansa peritonæi lamellâ, cui fundus vesicæ accretus, à contentis abdominis separato, haeret, qui pelvis dicitur: habet hæc vesica tres membranas, externa peritonæo ortum debet, hujus officium est vesicam investire: media membrana est muscularis, fibris longitudinalibus, & spiralibus prædita, huic in toto corpore similis non reperitur, valde explicabilis, & magnâ vi elaticâ prædita: intima membrana glandulosa est, valdeque sensibilis, si microscopii ope conspicitur, deteguntur infiniti exigui folliculi, rotundi, humore mucoso intar olei amygdalarum pleni; undè hæc membrana tam lubrica est, ut attractiones digitorum eludat; quo vesica contractior, & minus stimulatur, eo dicti folliculi magis clauduntur, humorem mucosum colligunt, & ad usum reservant; quo vero magis dilatatur & stimulatur, eo oculâ folliculorum patentiora redduntur, & humor ille majori copiâ fluens vesicam ab irritante quocunque acri vel stimulante defendit: tandem ne urina continuo efflue-

efflueret ex vesica appositus est superiori cervici vesicæ sphincter. Accipit urinam ex renibus per ureteres, eamque per urethram, quæ in viris quam foeminae longior est, deponit. B. *De pig blaag.* G. Harnblase, die blaße. Gall. *La Vesse.* A. The urine bladder.

VESICARIA, vocatur Alcea venera, ut & Alkekengi, quia ejus fructus & semen in vesiculis continetur: vel quoniam vesicæ & calculis prodest.

VESICATORIA, sunt medicamenta, quæ externè cuti applicata, in locum determinatum tumorem quandam ex liquido ibi ante non hærente conciliant, illud liquidum nempē eo hâc vi derivando, ut per illud ultimum vasculum nimis distentum rumpatur, adeoque in locum fracturæ liquidum exeat, communique cavitate colligatur; Veluti fit à Cantharidibus. Vocantur quoque *Attrahentia*, *Derivantia*. Gr. Επισταγία. B. Bleintrekende dingen/ spaanse bliegpleister. G. Ein pflaster von spanischen fliegen; blatter machende mittel. Gall. *Vesicatories.* A. Vesicatorie.

VESICULÆ ADIPOSÆ, vide *Sacculi Adiposi.*

VESICULA FELLIS, idem quod *Folliculus Fellis.*

VESICULÆ SEMINALES, sunt receptacula quædam, seu intestinula cæca in gyros, cryptas, recessus, complicata, quæ collo vesicæ à parte posteriori necuntur per membranas; solummodo in viris reperiuntur, nunquam in foemino sexu; sedem habent inter vesicam urinariam & intestinum rectum, duæ sunt & constant ex membrana satis tenui, & avium minorum intestinorum instar variis modis contortæ sunt, nisi quod hinc inde varicum ad instar mirum in modum dilatatae & internâ cavitate magis contractæ conspiciantur, in has definit vas ejaculatorium sensim latius & sinuosum, rursus angustius, ubi incurvatum ingreditur ferè recto itinere in hæc intestinula versus horum fundum capacissimum: quæque vesicula prædicta est alio canale emissorio cum priori ad angulos acutos juncto, qui bini emissorii in urethra ad angulum obtusum junguntur, & in unum canalem emissorium in urethram patentem desinunt, qui medius & unus, inter alios binos longè minores, & altiores, ab utroque ejus latere appositos, locatur; ut ita per tria distincta oculæ foeminalis humor huc expellatur: interimque amba

hae

hæ vesicula membrana musculosa colligatae sunt, & se-
men aspervant, & tempore orgasmi venerei, excernunt.
B. Zaad-blaasjes. G. Saamen-blæstein. Gall. *Vesicles
Seminales*. A. The Seed Vesels.

V E S P E R T I L I O N U M A LÆ, sunt ligamenta duo la-
ta & membranosa, utrinque unum, quibus uteri fundus
osibus illi laxè connectitur: *Aretæus Vespertilionum* alis
assimilat. B. **De bleermuig gelyke banden**. G. Die flader
maufz gleiche nasen bänder, die beide seitlein zu unterst
an der nasen. Gall. *Ailes de Chauve souris*. A. Bats-wings.

V E S T I B U L U M, in aure dicitur pars media inter laby-
rinthum & inter cochleam; est verò cavitas ossea, super-
ficie inæqualis; ejus pars anterior obducitur membrana
fenestrae ovalis, opposita pars spectat membranam Tym-
pani, in eo hiant novem foramina 1. fenestra ovalis 2. duo
foramina nervorum. 3. quinque foramina canaliculæ trium
semicircularium, 4. superior pars cochlea à parte faciei
huc aperitur. B. **Het portaal van 't doolhof**. Gall. *Le
Vestibule*.

V E T E R I N A R I A M E D I C I N A; est ea ars quæ de
Medicatione circa jumenta & pecudes agit, vulgo *Mulo-
medicina*.

V E T E R N U S, vide *Lethargus*.

V E T O N I C A, *Vettonica*, *Vettonicum*: est Betonica,
sic ab inventoribus Vetonibus, Hispaniæ populis, nomi-
nata est. Gr. κισηρ, idque à varietate & copia remediorum
dicta est. Vide *Betonica*.

V I B E X, vide *Enchymoma*.

V I B R A T I O, est agitatio & motio corporis & mem-
brorum involuntaria, ut conquietcere non liceat, etiamsi
strenuè renitatis. B. **Schuddingen**. G. Das erschuettern,
schwingen, wackeln. Gall. *Branlement*, *Agitation*; *se-
coufse*. A. Shaking, Quaking.

V I B R I S S Æ, dicuntur pili, qui è naribus excrescunt.
B. **De neus-hairen**. G. Die nasen-härlein. Gall. *Le Poil
des Narines*. A. The haire in the nose.

V I B U R N U M, est arbustula, cuius rami longi, digi-
tum crassi, valde flexiles, corticem albescensem habentes:
folia ad Alnum vel potius sorbum Alpinam accedunt, la-
ta, sublonga, crassiuscula, in ambitu crenata, hirsuta, &
pulvrisculo albo, maximè inferna parte, quæ ob id etiam

magis candidat , conspersa , gustu adstringente : flos est monopetalus , rotatus , quinquefidus , umbellæ in formam digestus , staminibus quinque præditus : ovarium in ora superiore coronatum caliculo quinquefido , instructum tubâ erectâ veluti triglobosa , abit in fructum seu baccam mollem , succi plenam , unico femine osteo , compressio , striato , fætam ; hæc arbuscula crescit in locis incultis , saxosis , & montibus : à *Viendo* , id est , *Ligando* , dictum , quo rustici utuntur ad colligendos fasciculos . Vulgo *Viorne* .

VICIA , est planta , quæ caules habet angulosos , villoso , excavatos : folia oblonga , angusta , villosa , bina , quasi conjugata , costæ innascentia , in claviculas abeuntia : flores sunt leguminosi , purpurei aut cœrulei : flori succedit siliqua villosa , fæta feminibus subrotundis , aut angulatis , nigris : forte & secundum veri similitudinem à Gr. *Bixia* vel *Bixios* nomen habet . Dici videtur à vinciendo , quod item ut vitis capreolos habeat , quibus sursum versus serpit , vel quod inter frumenta vitium sit . B. *Ditsen* / *wikken* . G. Wicken . Gall. *Vesse* . A. Vetch .

VICTORIALIS , dicitur *gladiolus* , ut & *allium monotanum* . B. *Victori-Wortel* / *Dag-look* / *veld-look* . G. Sieg-wurtz . Gall. *Ail Serpentain* . A. Victory root , wild & broad garlick .

VICTORIOLA , vide *Laurus Alexandrina* .

VICTUS RATIO , est modus vivendi , quo sanitas per convenientia alimenta , quibus in humano usu vulgo utimur , conservatur & morbus propellitur : consistit in reto usu rerum necessiarum , estque in Morbis triplex , Crassa , Mediocris , Tenuis : item est tenuis simpliciter , tenuior & tenuissima , vide *Dieta* .

VIGILIA , est spirituum animalium in cerebro & per nervos facilis agitatio , quæ per organa sensuum nostrorum motus objectorum sensorio communi , facili negotio , offeruntur . Si nimis hi spiritus agitantur , vigiliam pervicacem inducunt . B. *Waken* . G. Das wachen . Gall. *Veille* . A. Watching .

VIGILIA NIMIA , idem quod *Agrypnia* .

VIGOR MORBI , vide *Acme* .

VILTRUM , idem quod *Filtrum* .

VINACEI , grana sunt acinorum , *rīvætra* Gr. nominan.

nantur, quæ pressis uvis cum folliculo abjiciuntur.

VINCA PERVINCA, vide *Clematis Daphnoïdes*.

VINCE TOXICUM, est Hirundinaria, seu Asclepias: quidam dici putant *Nux vomica*, quod illi adversus venena insignis vis insit. Derivatur à *Vincere* vel *vīnā* quod idem est, & *rožīnā* venenum. Vide *Hirundinaria*.

VINUM COS, est vinum Colore, odore & sapore pol-lens; Gall. *Vin Theologal.* Anglorum Schola Salernitana nitorem addit hoc vericulo :

Vina probantur, odore, sapore, nitore, colore.

VINUM HIPPOCRATICUM, est cui saccharum & aromata infusa fuerint, quæ post per manicam Hippocra-tis colantur. B. *Hippocras-wyn / Specerpe-wyn.* G. Hippocras. Gall. *Hypocras; Vin d'Hippocrate.* A. Wine of Hipocrates.

VINUM MEDICATUM, est vinum, cui medica-menta infusa sunt in usum ægrotantium. Præfertim quando cum musto ad fermentandum reponuntur. B. *Geneves-wyn.* G. Kræuter-wein. Gall. *Vin Medicinal.*

VIOLA, est planta, cujus folia ex radice erumpentia, sunt obrotunda, ampla, in margine incisa, viridia, cauli-bus longis adhærentia : flos est pentapetalus, anomalus papilionacei floris æmulus, hujus enim duo petala supe-riora vexillum, duo lateralia alas, inferius verò, quod in caudam desinit, carinam quodammodo repræsentant, co-loris purpurei aut cœrulei, odoris suavis & grati : post florem appareat capsula, per maturitatem in tres partes di-visa, continens semina exigua, obrotunda, albescentia : radix est fibrosa: putatur dici ab Ion, quod *Nymphæ* quæ-dam Ioniæ, florem illum Jovi primum dederit muneri : sed alli, quod cum Io in vaccam à Jove conversa esset, ter-ra florem illum pabulo bovis ejus fuderit. Latini quoque detrita. t. litera, violam quasi vitulam imitatione Gr. videri possunt appellasse : alii dici volunt ἄνδρον λινόν; quoniam prius cæteris floribus veris tempore proveniat. Hinc ejus folia *Violaria* vocantur. B. *Diole.* G. *Viole.* Gall. *Violette.*

A. *Violet.*

VIOLA MATRONALIS, vide *Matronalis Flos.*

VIORNA, seu vitis alba, sed Fuchsi vitis nigra : vi-detur corrupta vox à *Viburno* : fortè sic dicta quod prop-

ter flexibilitatem , clematis in modum , omnes adstantes plantas circumligat , vinciatque.

VIPERINA, vide *Echium*

VIRGA PASTORIS, vide *Dipsacus*.

VIRGA, vide *Penis*.

VIRGA, in vegetabilibus est , quæ ex radicibus , aut caudicis lateribus exit ; à nonnullis virgæ appellatae sunt fiboles.

VIRGA AUREA , & solidago faracenica , est planta , quæ habet caules rectos , rotundos , striatos , firmos , & medullā albā repletos : folia sunt oblonga , acuta , in margine incisa : flos est radiatus , caulium supra fastigia floribus abundant , qui quasi in spicas colliguntur , quæ rursus in adunatam quali virgam conjici solent ; sunt flores coloris flavi aurei , calice tubiformi & multifido comprehensi : his succedunt semina pappis instructa : radix fibrosa , saporis aromatici . B. *Heidens Wondkraut / gulden roede* . G. Heidnisch wundkraut . Gall. *Verge Dorée* . A. Confolide Sarafine , Golden Rod , Saracens Confound . A. Sort of Red Comfrey .

VIRGINALE CLAUSTRUM, vide *Hymen*.

VIRIDE ÆRIS, vide *Ærugo*.

VIRGINEUS MORBUS, vide *Chlorosis*.

VIRGULTUM , surculus is est , qui terræ committitur , ut in arborem insurgat.

VIROSUS, est , in quo *Virus* sive *Venenum* ; sèpè etiam pro teterrimo & graveolente sopore aut odore sumitur.

VIRUS , est humor fluens , & accipitur quoque pro *semine* : *venenum* etiam significat , nec non *ichores* ex ulceribus manantes.

VISCARIA, est floris Amerii species , quæ & *Muscipula* vocatur , muscas ob foliorum viscositatem , irretiens .

VISCERA , sunt organa , in cavitatibus majoribus contenta , quæ elaborant aliquem humorem in usum publicum & toti corpori inferuentem ; sic ventriculus & Intestina elaborant cibos nutrituros universum corpus , sic Cor compingit , comminuit , movet sanguinem , unde postea omnes liquores sunt & seceruntur &c. vocantur item *Extra* , *Interranea* . Gr. Στολαγμα , Εγκατα , Εγκωδα . B. *Angewanden* . G. Das eingeweide . Gall. *Entrailles* . A. Bowells , Entrailes .

VISCUM, vel VISCUS, est frutex peculiaris in arborum quarundam ramis enatus, semper virens: uti est viscus quercinus, dicitur etiam lignum sanctæ Crucis; species est fruticis, quæ ad altitudinem duorum circiter pedum crescit, caules habet ut plurimum digiti crassitie, duros, lignos, compactos, graves, extus coloris fusci, rubri, intus albi, flavescentis: plurimos germinat ramos lignos, flexiles, intricatos, cortice viridi obtectos: folia sunt binæ opposita, oblonga, crassa, dura, Buxi foliis satis similia, sed aliquantulum longiora, venosa, coloris viridis flavescentis: flos est monopetalus, pelviformis, quadrifidus, verrucis conspersus, tanquam apicibus pulvere effundentibus: ovarium alio à flore loco natum, tenerum, quatuor foliolis succinctum, fit bacca subrotunda, glutine plena, mollis, alba, splendens, facta semine plano & cordiformi, per totam hyemen viret hæc planta. Mirâ de hujus visci generatione narrantur: quidam cum Theophrasto & Plinio credunt, quod tantummodo nascatur ex semine baccarum per alvos turdorum palumbarumque, & aliarum avium, postquam acinorum pulpam concoxerunt, redditio, unde & cum Plauto dicunt de Turdo, quod ipsi sibi avis mortem creat, & Turdus exitium sibi cacet, ob gluten, quod ex eo fit, quo postea aves capiuntur: huic sententiae autem uterque Bauhinus & Scaliger se opponunt acriter, qui viscum ex arboribus, quasi cornua ex ossibus animalium educi persuadere volunt: sed R. J. Camerarius in Eph. Nat. Cur. demonstravit, bacca visci deferri posse ad ramos arborum, tam delapsu raptuque ventorum, quam ab avibus non solum devoratas, & redditas per alvum, sed rostro delatas; nec sphærica sua figura à ramulis rotundis tam facile decidere, quam ruptas vel sponte vel ab avibus, suo glutine adhærere: adhaeret viscus non tantum quercui, sed & aliis arboribus, abieti, tiliæ pyro, pomo, corylo &c. Gr. οὐρανός & οὐρα. B. Marentakken. G. Mistell. Gall. Guy. A. Mißel or Mißeltoe.

VISUS, est sensus, quo ex materiae lucis in retinam sani oculi impingentis motu, lumen & colores ab anima percipiuntur. Gr. οὐρανός. B. Gezigt. G. Gesicht. Gall. Vué. A. Seeing, Sight.

VITA, in animali perfecto, est præside ac movente

anima, continuus fluxus ac refluxus, plus minusve sensibilis, aëris, sanguinis, & spirituum animalium, per organa & ex organis vitalibus, satis probè constitutis, & mutuo atque alternè plus minusve sensibiliter agitatis & agitantibus: in animali vero nondum perfecto vita non requirit aëris actionem in pulmone respiratoriam, quare in hoc erit vita modò circulatio sanguinis per viscera vitalia, & motus spirituum Cerebelloorum per nervos à Cerebello oriundos: de his lege *Lancifum* de mortibus subitaneis. Gr. *Bίος*, Zon. B. *Leben*. G. Leben. Gall. *La Vie*. A. Life.

VITALIA, idem quod *Cardiaca*.

VITALIS FACULTAS, est actio in corpore excitata, quā mediante homo vivit, quæque peragitur ipso vel inscio, vel involuntariè; qualis est motus Cordis, Arteriarum, respiratio; quæque dependet maximè à Cerebello, & nervis ab eo oriundis, vel in eo terminatis.

VITALIS INDICATIO, est cognitio conditionis viscerum & virium vitalium, quæ in homine, cui medicina facit medicus, nunc præsens est, simul cum scientia remediorum, quæ vel augendis, minuendis, vel conservandis, aut restituendis viribus vitalibus conducunt pro scopo præsenti requisito; habetur autem cognitio illius conditionis ex pulsu perspecto, & respiratione observata. B. *Het levens inzigt*.

VITE ALIS, vide *Helxine Cisampelos*.

VITELLINA BILIS, vide *Bilis*.

VITEX, est *Agnus Castus*; est arbustula, quæ habet ramos longos, flexiles, fractu difficultes, cortice cinereo tectos: folia sunt longa, angusta, acuta, lanuginosa; flores sunt monopetalii, tubulosi, in spicas congesti: his succedit fructus sphæricus, in quatuor loculamenta divisus, continens semina obrotunda, grisea, Coriandrini ferè paria magnitudine, coloris grylei, saporis acris aromatici. Gr. *Αγνύς*, id est, Castus: item *Λύριον* vimen, propter invictam ferè ramorum exilitatem, undē fortè nomen vitcis, à vico. Vide *Agnus Castus*.

VITICELLA, vide *Bryonia*.

VITICULÆ, non palmites aut farmenta sunt, sed flagella, quæ vitis modo repentina longè latèque vagantur, ac vicinos frutices noctea sic intricant eos, ut iis perinde quasi pedamentis abutantur: vel scandentia suis irretiunt

claviculis, quibus quasi digitis adhærent, quales in nasturtio indico, cucurbitis & plerisque aliis inveniuntur.

VITILIGO, vitiliginis tres species sunt. Gr. Αλφός, ubi color est albus, serè subasper, & non continuus, ut quædam quasi guttæ dispersæ esse videantur. Interdùm etiam latius, & cum quibusdam intermissionibus serpit. *Mélaes* colore ab hoc differt, quia niger est, & umbræ similis. Cætera eadem sunt. Λυκή habet quiddam simile Alpho, sed magis albida est, & altius descendit, in eaque albi pili sunt, & lanugini similes. Omnia hæc serpunt, sed in aliis celerius, in aliis tardius. *Vitiligo* volunt dici vel è vitio, vel à vitulo, Festo teste. B. *Witte ruidigkeit*. G. Weisse ræudigkeit. Gall. *Gratelle blanche*. A. White leprosy.

VITIS, est Arbuscula, quæ habet caulem tortuosum, obductum cortice fisso, rubicundo; sarmenta plurima longa veluti brachia dimittentem, quibus vicinas arbores & pedamenta apprehendit: folia sunt ampla, variè laciniata, ut ficus, alia majora profundius incisa, quandoque ad pediculum usque in lacinias acutas divisa; alia tenuiora, alia crassiora, alia viridia, alia rubentia, alia maculata, alia ad tactum duriora, alia molliora, alia lævia, alia tuberculata: flos est rosaceus, pentapetalus, staminibus quinque prædictus: ovarium in fundo floris natum, tubâ brevi, pilosâ, instructum, sit bacca mollis, pulposa, succulenta, rubra, aut alba, seminibus plurimis, plerumque quatuor, fæta: fructus & flores in racemos congeruntur: à vinciendo, quòd arbores &c. claviculis vinciāt: vel quòd invitetur ad uvas pariendas: vel dicitur à vino fermento. Gr. Αμπελός, ab ἄμπελος Una, & πνάλη Jon. pro οἶνος *Vinum*, hinc οἰνοθέας *Vinum Gerens*: ab οἴνος vinum, & φέρω fero. B. *Wyngaard / dwive-boom*. G. Weinstock, wein-reben. Gall. *Vigne*. A. Wine, vel grape bearing, veine tree.

VITIS IDÆA est Arbuscula, quæ habet ramos tenues, cortice viridi obductos: folia sunt oblonga, ampla, in margine leviter incisa, saporis adstringentis, flores monopetalii, campaniformes, globofo ovario innati, coloris albi, subrubicundi: flori succedit fructus mollis, seu bacca umbilicalis succo plena, juniperino serè similis, per maturitatem violacea potius, quam nigra, sapore grato & acido

acido primulum degustata , quæ tamen paulò post aliquid naufragabundi in ore relinquit , purpureo violacea satique pertinaci tintura , cui grana immerguntur multa , parva , albescens vel rubentia : radix lignosa , tenuis , repens . B. *M*ortil . G. Heidelbeer , standelbeer , bickbeer oder bickelbeer . Gall. *Airelle* , ou *Myrtille* . A. Shrub like Myrtle-tree .

VITIS ALBA , seu **VITALBA** , contrafacta voce , dicitur non modò quod Vitem sativam foliis utriculifque referat , verum etiam , quod fructum in exiguae uae similitudinem , acinis licet raris confirmatum producat . Vide *Bryonia* .

VITIS NIGRA , Gr. Αὐτιάς μέλανη , nigra dicitur vitis à radice nigra , & quod vitis similitudinem obtineat .

VITREA TABULA , vide *Diploë* .

VITREUS HUMOR , vide *Humores Oculi* .

VITRIOLUM , est sal minerale metallis proximum , ac præcipue cupro &c. varia sunt ejus genera pro indole minerali , quam in se continent , differentia ; præcipua autem , quorum hoc tempore est existimatio , sunt primo *Ceruleum* , Sapphyri instar , compactum , ut saccharum candum , tacu siccum , *Hungaricum* vocant , vel *Cyprum* , aut *Gallicum* ex agro Lugdunensi ; Secundo *Subviride* , herbacei coloris , magis granulatum , grumosumque instar salis communis , paulum unctuosum , manuique tangentis adhærens , quale *Gostariense* , *Sueicum* &c. Tertio *Album* , in formam parvulorum panum effictum , tactu siccum . *Eduardus Broww* , etiam de *Rubro* mentionem facit . *Ceruleum* & *Album* , de cupro participat , *Viride* autem de ferro . Vitriola sunt vel nativa vel fossilia ; vel artificialia , sive factitia : nativa duplia reperiuntur , alia ex ferro , quæ colore viridi præstant , ex ære alia , quæ cærulea plerūmque amænitate commendantur : cætera metalla vix soluta in fodiis apparent , quia illorum solventia , nitri acida , vel marini salis spiritus haud reperiuntur in fodiis ; undè *Auri* , *Argenti* vivi , *plumbi* , *stanni* , succi soluti vel concreti nunquam ferè inveniuntur , utique non multa . Sed tamen metallica plumbi levi acido solvi posse ut constat , ita simul difficillimè in cristallos cogi posse , ars Chemica docet , sed statim ferè in pulverem cerulæ excusso iterum acido , verti ; id & de stanno ita verum .

Om-

Omne ergo fossile vitriolum, quod erutum hactenus, ex solo ferro aut ære habetur: tamen ramenta fortè vel pulveres aliorum metallorum soluto vitriolo, inter concrescendum immisceri posse nihil vetat; sed eodem solvente soluta alia metalla, iis intimè nupta esse, neandum constat: solvens Martis & Veneris idem acidum, igne violento inde separandum titulo spiritus aut olei vitrioli; quod ipsum ex alumine exprimitur arte, aut de sulphuris accensi fumo colligitur; imò vitriola & sulphura eadem matrice concipiuntur, foventur, eduntur, lapide scilicet Pyrite dicto effosso, aëri exposito, sulphuri abundantι liberato, contuso, in aqua soluto ad bacilos ligneos crystallisato; aut etiam ex Mify veterum naturali solutione & crystallisatione illico producitur: unde vitriolum est quintuplex. 1. Viride ex solo ferro & spiritu sulphuris, medicatis viribus laudatum, atramento optimum. 2. Cærulescens, ferro plurimo, pauciori cupro, per spiritum sulphuris soluto, constans; cuius solutio aqua facta lamellas ferri immisgas rubro æris colore tingit, sic parùm admisti æris demonstrans. 3. Vitriolum album videtur parùm differre à vero viridi, fortè paulò majori calori originem debens, ut in factitio appetat: namque omni cæterum dote idem omnino exhibet. 4. Chalcites, verum Chalcanthum, vel vitriolum rubrum, quodque simillimum viridi, in eadem resolvendum; forte & aliquid admisti æris capiens: in primis ferro & acido sulphuris compositum videtur. Cyprium vel Hungaricum, cæruleum penitus; solo cupro fit, & eodem acido sulphuris liquore. Factitia fiunt, quoties fæles solventes, acidi in primis, disperserunt metalla in ramenta minima, atque iisdem arcte adhaerentia, concrescent unà in glebulas, in aqua dilui aptas integrè, sine ulla fæce omnino, quamdiu nimisrum hanc vitrioli veram formam obtinent: talia igitur numerantur auri, argenti, plumbi, mercurii, martis, veneris, stanni vitriola, quamdiu acido solvente idonea parte aquæ, metalli particulis, ita certa proportione adunatis constat, ut maneant perspicua, & liquida, cristalli aut vitri instar. Quo autem uberior copia acidi solventis metallo in vitriolum coacto affunditur, eo semper facilius illud in aqua deinde dilui poterit: quando autem aqua calore leni dissipatur ex vitriolo, ut jam opacæ evadant glebulæ, tum solent illico dis-

poni partes metallicae ita, ut dein in aqua adeo facilè dissolvi nequeant, quam quidem prius: immò verò si continuatur hæc cristallorum exsiccatio, tum tandem materies evadit penitus dissolvi impos; licet interim multū acidi solventis retinuerint in se: igitur omnibus nativis vitriolis ferrum & aës, basin dat, acidus sulphuris succus solvens præbet, aqua verò diluens acidum, glebulasque metalli ordinans, figuram dat & perspicuitatem: undē pro varia proportione horum trium omnis diversitas in his intelligi videtur. Gr. Χάλκανθος. Arab. *Cancantum*, *Calcant*, *Alcalcadis*. B. *Vitriool* / *Kopperrood*. G. *Vitriol*, kupferroth, kupfferwasſler. Gall. *Vitriol*. Vitriolum nomen acceptissimum videtur à vitro, quia vitrum aliquatenus, modo purum fuerit, refert.

VITTA, dicitur pars tunicæ Amnios, quæ capiti infantis, cùm in lucem prodeat, adhæret, atque hoc locum habet in sexu foemino, verū in masculis *Galea* appellatur. Vide *Galea*.

ULCERATIO, vide *Exulceratio*.

ULCUS, est solutio continui, à materia erodente ortum ducens, in mollibus corporis partibus, cum immunita magnitudine: differt igitur à vulnere, quod ibi sit solutio recens & cruenta, hic verò plerūmque purulenta aut ichorofa, ibi sit causa solvens illicet, & externa, scindens; hic autem causa lentiùs solvat, interna, & erodens inveniatur, vulnus igitur antiquum & purulentum, erit ulcus. Gr. Ελύσ. B. *Eeu z'weeringe*. G. Ein geschwuler, eiterstock, eiterbeule. Gall. *Ulcre*. A. Botch, Sore ulcer.

ULMARIA, est planta, quæ habet caulem tres pedes circiter altum, rectum, angulosum, ramosum, excavatum, coloris rubicundi, purpurascens: folia oblonga, in margine incisa, rugosa & superius viridia instar Ulmi, inferius alba: flores sunt parvi, rosacei, pentapetalii, in racemos congesti, odoris grati; pistillum floris sit fructus, ex plurimis vaginulis membranaceis intortis, & in capitulum congestis compositus, semineque fætus ut plurimum singulari & exigu: radix digitæ crassitie est, odora, extus nigra, rubro-fusca intus, plurimis fibris rubris instruxta: crescit locis uidis juxta flumina & similia loca: sic vocatur ob ulmi foliorum similitudinem: alias *Regina* vocatur *Prati*, idque quia ob folia explicata, ut & flosculos

nitidos caput inter prata extollit. B. *Reinette* / *geitenbaart*. G. *Geis-bart*. Gall. *Reine des prez*. A. *Mede-wurte*, *Mede sweete*, *Meadow-sweet*.

ULMUS, est Arbor valde procera, valde ramosa, cuius trucus est crassus, cortice fillo, aspero, flexili, obductus, extus coloris cinerei, intus albidi; lignum durum, flavum: folia sunt satis ampla, rugosa, venosa, oblonga, in margine incisa, acuta: flos est monopetalus, campaniformis, staminibus instructus: pistillum in centro floris sit fructus membranaceus seu foliaceus veluti cordiformis, in cuius meditullio capsula pyriformis posita est; membranacea pariter, semine facta ejusdem formae. Gr. Πτελία. Ejus semen *Samera* vocatur. Vermiculi crescentes in seminum folliculis κύνης dicuntur; Lat. quandoque *Culiones*, & *Culices*, ast quia culices ex aquis originem habent, ut *Ephemera*, non credo posse dici culices, sed muscae erunt. Putatur dici, quia si viminibus salicis aut ulmi ligaveris, increscens vitis se ipsam praecedit. Quidam dici putant ab ulagine, quia circa uliginosa loca crescit. Vel ab ὄλη materia, quia fabris lignariis materiem praebet. B. *Olm-boom* / *open-boom*. G. *Almen*, *ilm*, *hind-bast*, *rust-baum*, *Iffen-holz*. Gall. *Orme*, *ormeau*. A. *Elm-tree*.

ULNA, *Focile Majus*. Gr. πράχη, προπόκιον, est os inter brachium & carpum, parte superiori cum humero per γίγγαντον articulatur: ideo habet ibidem processus & sinus. Processus sunt duo oblongi, & quasi triangulares, asperi, ut ligamenta articulum validè ambiant. Dicuntur κορώναι id est rostra seu glandes. Anterior & superior minor, humeri sinum subit: posterior crassior & amplior in obtusum angulum definit, & humeri sinum posteriorem subit. Vocat *Galenus* οὐληγάρον *Hippocrates* Αγκάρα, Latini *Gibberum*, in medio horum est magnus sinus seu cavaitas instar semicirculi, unde dicitur Συμφοῖν, habet adhuc alium sinum lœvum externum, lateralem pro radii capite. Parte inferiore articulatur cum carpo, tum per medianam cartilaginem, tum per processum acutum, ideoque styloidem dictum: unde ligamentum oritur, cubitum carpi articulo firmans. B. *De groote elle-ppp*. G. *Ellen bein*, *elle*, *das fordertheil am arm*. Gall. *l'Os du Coude*. A. *The el bow*.

ULNARIS MUSCULUS, vide *Cubitæus*.

ULO-

ULOMELLA, est totius membrae integritas, ex ~~un~~ integer, & ~~un~~ membrum.

ULVA, est herbæ palustris species : dicitur forte uliginosis, seu aquosis locis, in quibus reperitur. B. *Eemmos* / *wier*. G. *Wasser-mosz*. Gall. *Feuille de mer*. A. *Sea grass*, Sedge.

UMBELLA, est floris, seminisve pedamentum, in plures digestum longiores pediculos, qui simul ex fastigio eodem orti, in latius continuo radiantur, singulique vel florem, vel semen sustinent, in orbem circumactum. Graci hunc floris habitum *oxiadios*, Latini vero, quoniam umbellæ, quam mulieres vultum vindicant a sole, & aestum arcent, circinatam effigiem gerit, umbellam dixerunt.

UMBILICALIS FUNICULUS, continet praeter U. rachum, tria notabilia vas a sanguinea, duas scilicet arterias, atque unam venam, cuius diameter ad minimum unius cujusque arteriae duplum est, insuper corpore spongioso, quod ipsis tutum transitum præbet, componitur : hoc corpus spongiosum, subcartilagineum satis mobile & non facile comprimentum, secundum plurimos anatomicos, duplice membranâ constat, externa, quæ a panniculo adiposo, interna, quæ a peritoneo ortum ducit ; secundum alios vero ab epidermide, cute, & panniculo adiposo : sed D. Roubault illum unicâ solummodo membranâ tenui succinctum esse invenit, sub qua infinitarum cellularum compages se prodit, in quibus humor pellucidus, viscosus, quem Warthon gelatinam nominavit, magna copia reperitur ; quo continuo affluente, hujus funiculi flexibilitas, quæ fætus motui obsequi debet, conservatur : in hujus funiculi umbilicalis longitudine, quæ non semper eadem est, conspicuntur aliquot quali varices sive vesiculae sanguine plena, nodorum similitudinem habentes ; ex quorum copia, inquit Harvæus, obstetrics de futura sibolis numero divinare solent, & si nulli ejusmodi nodi adfuerint, steriles in posterum fore pronuntiant puerperas : ex eorundem quoque ab invicem distantia de posteriorum intervallo, & ex colorum varietate de sexus discrimine aniliter hariolantur : Natura eos non paravit, ut hac arte caveret, ne sanguis in fetum consertim refluxat, ut vult Harvæus : verum obstetrix, dum funiculum umbilicale prehendit, eumque tanquam filum Adrianae

riadnæum ad placentam usque sequitur, ut tuto eam ab utero separare possit, variis eum in locis comprimit, eo que exprimit fanguinem è locis compressis, cogitque in minus compressa cedere quæ indè intumescunt: quâpropter similes vesiculae in arteriis umbilicalibus quoque inveniuntur, sed minores; poterunt simili modo oriri à vasorum umbilicalium contorsione: sic autem produci apparet, si vasa umbilicalia aquâ, aliisque idoneo liquore implentur; statim enim ita evanescunt, ut æquæ inani opera nodos in his vasis, quam in scirpo, quæri possunt: hujus funiculi crassities circum circa digitalis est, aliquando tamen tenuior, vel crassior. Vid. *Funiculus Umbilicalis*; & *Vasa Umbilicalia*.

UMBILICUS, Umbo, ὁ μαλλιός, τὸν γαστρὶ Aristoteli, est umbo in medio abdominis situs, cui intestinum umbilicale conjungebatur, quod post partum absinditur. **B. Navel.** **G. Der nabel.** **Gall. Le Nombril.** **A. The navel.**

UMBILICUS MARINUS, est testaceum quiddam, planum, ab una parte rubrum, ab altera fuscum: habentur majora & minora. **B. Zee-navel.** **G. Meerbonen.** **Gall. Nombril Marin.** **A. Sea-navel.**

UMBILICUS, id in pomis est, quod in iis medium vel prominet, vel conditur.

UMBILICUS TERRÆ, vide *Cyclamen*.

UMBILICUS VENERIS, & ceteræ herbæ, quæ umbilici nomen ferunt, dicuntur sic à foliorum similitudine cum umbilico humano.

UNCIA, est duodecima pars librae medicinalis; continet uncia drachmas octo. **Gr. ογκία.** **B. Ein once / zwey loth.** **G. Ein untze, zwey loth.** **Gall. Once.** **A. Ounce.**

UNCUS, idem quod *Hamus* & *Hamulus*.

UNDEMIA, idem quod *Oedema*.

UNEDO, putatur esse Mespilus; quidam tamen illud nomen Arbuto attribuunt. **Gr. Επιμηλίς**, quæ etiam ab Italisch rusticis vocatur *Unedo*, estque quasi Malus Sylvestris. Indè nomen habens quod plures edi non possunt.

UNGARICUS MORBUS, sive **HUNGARICUS**, est species febris Epidemicæ malignæ, plerumque cum nimio capitis dolore, delirio, aut angina periculosissima invadens, aliquando cum petechiis, sive maculis pulicaribus.

UNGUENTUM, ab **UNGURRE**, est Medicamentum externum, quod consistentiam linimento paulo crassiore habet, vocatur etiam *Unguen* Plin. Gr. A' λεμα & A' λειφη. B. **Zalf.** G. Salbe. Gall. *Onguent*. A. Ointment.

UNGUICULI, idem quod *Alabastri*.

UNGUIS, Gr. ὄνξ, est pars corporis animalis flexilis, alba, dura, digitos ab externis injuriis defendens, & quodammodo exornans, eorum extremitati dorsali imposita; radix ejus ligamento cuidam jungitur, & ob vicinos adstosque ei tendines, sensilis est. Constitui videtur, ex collectione minimarum fistularum, dense sibi invicem adhaerentium & in longitudinem excurrentium. Ubi incipiunt, inveniuntur quedam fibræ nervosæ in modum papillarum elongatarum, quarum elongatæ partes ad unguem usque conficiuntur. Si autem vi abrumpantur, foramina diversa relinquuntur. Ita ut cornea unguium substantia retis figuram obtineat. Hisce accedit corpus papillosum ungui subiectum, una cum suis vasis excretoriis. Apices unguium sunt, qui ultra carnem exferuntur, Α' κερωτικαι five Extremitates; partes quæ præciduntur, *Segmina unguium* dicuntur; partes sub ungue, Κερττα, pars alba & semilunaris radici proxima, Α' κατολη, five exortus, & Α' εγειρη ab albedine, ipsa initia eorum cuti admata, Ρ' ζονχης, unguium radices vocantur; latera Ρ' αγρει και Κορυφαι, rima & vertices; anguli, γονα, maculæ albæ, Νεφελαι, nubeculæ & cicatrices albæ. B. **Nagelen.** *Unguis* etiam dicitur *Pterygium*, oculi quoddam vitium, vide *Pterygium*. B. **De nagel.** G. Ein nagel. Gall. *Ongle*. A. A Nail.

UNGUIS ODORATUS, vide *Blatta Byzantia*.

UNGUES, in rosis & foliatis floribus intellexerunt Veteres imas suorum foliorum partes, quibus in capite suo cohærent, decoloresque dependent, vel unguis infra pars foliorum rosa alba appellatur.

UNGULA, ονξ Hippocr. est uncinus seu Hamus educendo mortuo fetui comparatus. Embryorectes *Tertulliano*, dicitur lib. de Anima, nisi placeat eo loco reponere ex Galeno Εμβρυθλασης, sic enim ille nominat, aut Εμβρυοληξης quæ voce *Hippocrates* utitur, à quo idem instrumentum etiam Ελκυση, item πιπερι, lib. de mulieribus, & Ιχθην dicitur. Gall. *Un Crochet*.

UNGULA CABALLINA, est Tussilago seu Farfara;

fic

sic dicta sc. quod istius plantæ folia equinæ unguilæ persimilia sint. Vide *Tussilago*.

UNGULA OCULI, idem quod *Pterygium*.

UNICORNU, sœpè à Medicis maximoperè laudatur, verum, an verum detur necdum demonstratum est, nuper rimè frustum dimidii spithami ostensum est, quod quia striis carebat, non videbatur mihi esse de dente pisces in Groenlandia *Narhval* dicti. Intus erat albi coloris & sine medulla. Sed si daretur, quis diceret, tantis viribus valere, ut ignota Medicorum turba clamitat: facile est credere non aliis virtutibus, quam cornu rhinocerotis, aut cornu cervi gaudere. Quod pro eo venditant, est dens alicujus pisces Groenlandici, *Narhval* dicti: Pisces iste in juventute duos habet dentes, quod illi mihi narrarunt, qui illas regiones frequentarunt, imò & stigma & locum sive foramen, in quo collocatus fuerat, vidi: cum adoleverit sinister excidit, & loculus evanescit, verum dens dexter, qui remanserat, ut esset pisci æquilibrium, non recta via enascitur, sed finistram versus partem magis ac magis inclinat. Asini cuiusdam Africani cornu pro vero monocerote sœpè divenditur. Cornua illa, sive potius dentes, aliquando sex pedes superare vidi: albi sunt instar eboris sed cochlearum in modum striati. Gr. *Μοροκερός*. B. *Eenhooren*. G. Einhorn. Gall. *Unicorne*. A. *Unicorn*.

UNIO seu **MARGARITA** aut **PERLA**, est Gemmæ maritimæ quedam species, in ostreis, musculis & forte aliis conchis nascens. Ob vires insigne valde laudatur. Sed si res intimius inspiciatur, nihil aliud faciunt quam acidum temperare, ut & mater perlarum, & omnia conchilia faciunt. Vide *Margarita*.

VOLA, est postbrachialis pars interna manuum, *Palma* dicta, Gr. Δάχτυλος, Κοῖλος χειρός, Θίρας, Pind. Schol. Item vola est concavitas pedis. Gr. Κοτύλη, Κοῖλος ποδός. B. *Het hol van de voet / of hand*. G. Die höhle an der hand oder fuß. Gall. *La Paulme de la main*. A. The palme of the hand.

VOLATICA, idem quod *Lichen*.

VOLATILIA, sunt, quæ facile volant, uti sunt omnes spiritus & salia volatilia, Mercurius &c.

VOLSELLA, seu **VULSELLA**, & **ACANTABOLUS**, Gr. Μαδιστερία, Τεγχολαβίς: Τεγχολαβίος, est instrumentum 2

mentum, quo pilos prehensos radicibus è corpore extirpant; seu forceps chirurgica, quæ pro vario usu varia forma est. B. *Een haer-trekkier / npptang / koren-tang.* G. Kornzænglein, raußzænglein. Gall. *Pincettes.* A. A Paire of Pincers.

VOLVA, est species fungi, ovi vitellum referens: volva dicitur, ceu in ovo est Luteum, Italis *Boloccioli & Ovole* dicuntur, quod ovorum vitellum referant.

VOĽUBILIS, dicitur planta, quæ sub similacis nomine venit, cujus sunt variae species: à circumvolvendo ergo nomen habet, quod juxta crescentibus plantis, stipitibus &c. circumvolvendo adhæret.

VOLVULUS, vide *Iliaca Paffio.*

VOMICA, est tuberculum in Pulmone natum p. n. membranâ propriâ inclusum, pure plenum: ortum à quacunque causa partem pulmonis priùs inflammante, dein suppurante, sed tamen ita, ut in membrana quadam, quæ simul crescit ac extenditur, contineatur: nec sputo excernatur; aliquando in initio nec tussim nec febrem inducit; postea verò cum sensim aucta, vasa Sanguifera vicina comprimit, quin sanguini præterfluent effluvia sua imprimis, proinde febricula, cum inquietudine & marcore succedit, tandem illa ad plenitudinem aggeta & diuturnâ concoctione in pus sincerum maturata, cystis seu nidum disrumpens vel solvens, pus solum vel fâcculo inclusum ejicitur. B. *Longe 3weer.* G. Lungen geschwär, eiterbeule. Gall. *Vomique; Abcés dans le Poumon.* A. Impostume of the lights.

VOMITORIUM, est Medicamentum internum, cuius vehementi irritatione materia in stomacho contenta, violento motu per gulam in os & ex eo ejicitur, adeoque motus peristalticus planè invertitur, vide quid de vomitu mox dicetur. Vide *Emetica.* Gr. *Εμετικόν.* B. *Een hzaak-drankje.* G. Ein speytranck, artzney, davon man sich brechen musz. Gall. *Un Emetique, Vomitif.* A. A Vomiting Drinke.

VOMITUS, Gr. *Εμετός*, ab *Εμίω* vomo. Est ventriculi & æsophagi & musculorum abdominalium convulsivus motus, quo versus superiora contrahitur ventriculus, Pyloro occluso & fundo ac lateribus in se coactis versus sinistrum orificium, & compressis omnibus vi musculo-

rum

ram abdominalium, undē per partes convulso etiam oesophago ab imo ad fauces, contenta, si quæ sint in cavitate, expelluntur in os & ultra; Hinc Anxetas, Dolor in cordis & ventris regione, Respiratio nonnihil est impedita, facies rubet & tumet sāpē, caput distenditur, labia trement, sudor exprimitur, si vomitus diu durat, & identidem repetit, ut solet: nam convulsio hæc per vices repeatit, undē contentorum ejectio unā vice major, alterā minor est: neque enim Respiratio concedit diuturnam convolutionem, & quasi Tetanum, sed fursūm actus ventriculus ab Inspiratione aliisque causis, brevis deorsum urgetur, licet mox revertantur convulsiones, quæ rursū remittunt: atque in tali vicissitudine vomitus fit. Hujus species sunt, ab Ebrietate, Fastidio, cibis vel potibus acribus, venenis, Emeticis, Catharticis, in gravidis, vulneribus cerebri, viscerum inflammatione, eorumque dolore, ut in colica, ileo, nephritide, Febribus, &c. Estque vel rei ingesta, sanguinis &c. B. *Baking / spouwing / geubeling.* G. Das brechen, übergeben, speyen. Gall. *Vomissement.* A. Vomiting, Casting, Spewing.

VOPISCUS, dicitur is, qui ex duobus conceptibus, uno abortu exclusa, ad partum legitimū reducitur.

URACHUS, est canalis in fætibus exilis, membranous, figuræ depresso, crassitieī circiter acus textoriæ, coloris placenta obscurioris, à fundo vesicæ exeuens, transfeuns infra amnion, recta usque ad cervicem allantoidis, pervius, vel saltem transitum urinæ permittens, intra aliquot dierum spatium, ex substantia mucosa in veram membranam mutatus: est verus ductus urinarius, transmittit enim ex vesica in Allantoidem urinam à sola vesica fætūs in Utero hærentis per tantum temporis spatium non retinendam; hic verò post fætūs editionem in substantiam ligamentosam facessit, & vesicæ pro suspensorio cedit. Conjugitur umbilico & vesicæ fundo. Græc. ἡράξεις. B. *Watter-bat / blaas-band.* G. Der blasen-band. Gall. *Urache*. A. Urinary passage, urakus.

URANIA, est iridum nomen, à colore & figura Iridis cœlestis: ἡράξεις enim cœlum est.

URCEOLARIS, & **URCEOLA**, vocatur Parietaria, quod detergendifis Urceolis vitreis polleat. Vide *Helxine*.

URENTIA, vide *Pyrotica*.

URETER, est vas fistulosum & membranosum ab utroque rene emisum, ex ejus pelvi oriundum, ferè conicum, ut plurimum inæquale, scilicet in diversis locis angustius; constatque tribus membranis; externa est proles peritonæi, media est muscularis, fibris motricibus praedita, tertia & intima similis est membranæ vesicæ interiori: hic canalis in statu sano nullam præternaturalem extensionem passus valde angustus est, undè fit ut sibi commissus ob tunicam muscularam ferè clausus existat, donec materia secreta in pelvem continuò stillans sensimque augeat, ad superandam vim contractilem satis virium acquirat; undè liquor secretus non illico ex pelvi effluere potest, quod in hunc finem factum videtur, ne liquor ipso momento, quo in pelvem stillat, effluat, sed ibidem continuò adlit, ut papillarum oscula hunc liquorem stillantem humectet, & impedit, ne præ siccitate concrescant, alias de Urinæ secretione brevi actum esset, hinc liquor hic in pelvi retardatus instar balnei sovet, & humectat, papillas suis osculis in pelvem hiantes à concretione præservat: hæc fistula, ut ad vesicam, in quam terminatur, perveniat, utitur primo recto, mox verò ad anteriores flexo itinere, sub peritonæi lamella decurrens, in posteriorem vesicæ partem, duorum digitorum ab alterius renis inserto uretere, uti & à cervice distantia; ergo in talem locum, ubi mutationibus vesicæ modò plena, modo vacua minimè obnoxius est, inseritur: tunc oblique deorsum inter tunicas vesicæ spatio parvi digitii procedit, & ibi intima vesicæ membrana penetrata suam urinam infundit: hæc mirabilis insertio nullo operculo vel valvula prædicta, retrogressum urinæ ex vesica in ureterem omnino impedire valet, obliquè intra vesicæ membranas se aperiens; undè urina à renibus, vesicæ traditur. Vena alba *Celso* dicitur, ab *ερι* urina. B. *En pīs-leider/ pīs-buīs.* G. Harn-gänge. Gall. *l'Urethere.* A. Urine-pipp, the ureter, urinary Passage.

URETHRA, vel FISTULA, Gr. οὐραχτός, οὐράχη,
πέρι οὐρητός, est meatus urinarius, quo ex vesica per penem, vel vulvam sive pudendum muliebri, urina excernitur. Item, inservit feminis ejectioni. In initio suo per duo foramina vesiculae seminales, quum opus fuerit, se exonerant, iisque prostate glandulosæ, etiam plurimis

foraminibus circumstuntur : quibus caruncula apponitur : Canalis est mirae structuræ ; constat binis membranis, ubi primò ex vesica, cuius protractio tantum videtur, sed his deinde interponitur corpus cavernosum sive fungosum, quod inter binas has lamellas decurrit, ad latera sensibilius quam in medio, inter finem prostatae & unionem corporum cavernosorum est crassissimum, dein toto decursu gracilius, ad anteriora penis crassescit, & extrorsum flexum, linquit in medio apertum os urethræ, in glande, deinde vero constituit superficiem exteriorem spongiosam glandis, terminatam in eminenti ejus fimbria circa nexum præputii ; in cavum suæ fistulæ recipit emissaria obliqua ex glandulis Cowperianis conlectum humorem blandum præcipue flaccido veretro dimittentia in usus necessarios superficië interiori urethræ ; tum & plurima hic patent oscula majora, minora, hæc fines sunt canaliculorum sub urethræ membrana, eructantes humorum blandum, quo lubricatur meatus, & à concretione defenditur : urethræ progressus non est rectus, sed singulari modo progreditur, in primis in viris, ubi per anfractus descendit, assurgit, incurvatur, descendit ; & variis sui decursus locis in latitudine sua etiam variat, ab ἡγετι urina, vel ἡγετι urinam reddo. B. *De pis-gang / de schaft.* G. Harn rehre. Gall. *l'Uretbre, Conduit de l'Urine.* A. The urinary Passage.

URETICA, idem quod *Diuretica*.

URINA, vide *Uron*.

URINA PERICARDII, vide *Aqua Pericardii*.

URINALIS HERBA, dicitur *Linaria*, quia urinam pellit sic vocatur.

URINARIA FISTULA, idem quod *Urethra*.

URINOSA, sunt Medicamenta Urinam pellentia, ut spir. Urinæ, salis armon. &c. ea poros cerebri dilatant & excitant, unde in affectibus comatosis laudatissima sunt.

URINA, est magna Veterum mensura, continens vini quadraginta libras, & triginta quinque olei circiter.

UROCRISIS, idem quod *Urocritica*.

UROCRITERIUM, est iudicium de urina, ex ἡγετι urina, & ἡγετι judico.

UROCRITICA, sunt signa quæ ex urinis observantur, ex ἡγετι urina, & ἡγετι judico.

UROMANTIA, vide *Urocriterium*.

UROMANTIS, est qui ex urinis aliquid divinare vallet, ex ipsis urina, & *μάντεις* vates.

URON, *Urina*, *Latium*, οὖρον & οὐρηνα, est excrementum serosum à sanguine in renibus, cum multo sale, pauco sulphure, terra & spiritu, per ureteres ad vesicam delatum, donec convenienti tempore & loco excernatur, ab ipsis urinam reddo. B. *De piss.* G. Der harn, bruntz, wasser. Gall. *Urine*, *Pissat*. A. Urine, Pisse.

UROSCOPIA, est urina inspectio, ab ipsis urina, & exponit inspicio.

UROSCOPIUM, idem quod *Matracium*.

URTICA, est planta, quae habet caules plus minusve altos, quadratos, rigidos, lanuginem pungentem habentes, excavatos, ramosos: folia in caule bina opposita, oblonga, plus minusve ampla, Melissam referentia, acuta, in margine incisa, spiculis urentibus obsita: flos est apetalus, stamineus, mas, calici tetrapetaloidi, cruciformi insidens ut plurimum; in medio caliculi habens stamina aliquando quatuor, quandoque plura; testiculi in foliacea plana diffiliunt: fructus plerumque in planta non florifera fit vel capsula bivalvis, semine fræta, & aliquando in globulos congesta, vel volsella semen comprehendens, tuba filamentosa instructa, & caliculo, sed & ovaria in planta märe inventiuntur: unde fiunt urticae mares, feminæ & hermaphroditæ: radix fibrosa, repens, coloris flavescentis; plures dantur urticae species, maxima, minor, & Romana five mas cum globulis: planta hæc dicitur ab urendo, quod pruritum pustulasque igni similes excitet. Gr. Αὐτιλίφη ab α priv. αὐτή & λίθη, quia non bona tactu, & pruriginem excitet. Item καρδία vocatur, à καρδίᾳ quodd vellicet, pungat, à suo morsu sensum laceflat. B. *Nettlen*. G. Bren-neßel. Gall. *Grande Ortie*, *Petite Ortie*, *Ortie Romaine*. A. Nettles.

URTICATIO, est Operatio Chirurgica, quâ membra corporis urticis recentibus percutiuntur, ad calorem nempe revocandum.

USNEA, est muscus ossibus vel arboribus adnascens. Propriè tamen sumitur pro musco calvariis humanis incremento, et vox Arabicæ. B. *مُسْك*. G. Mosz. Gall. *Ugne humaine, ou des plantes*. A. Mossé.

USTILAGO, ab urendo dicitur. Vide *Rubigo*.

USTIO

USTIO, est, quando res in cineres rediguntur, ut arte salis ex vegetabilibus elixiatio fiat. Vel ut res melius in pulverem redigantur, ut sit in cornu cervino calcinando. *Ustio* Chirurgis quoque familiaris, quando cauteriis urunt. B. *Brandung*. G. *Verbrennung*. Gall. *Brûture ou action de bruler*. A. *Burning*.

UTERI ASCENSIO, idem quod *Hysterica Passio*.

UTERI LIGAMENTA, vide *Ligamenta Uteri*.

UTERI OSCULUM, vide *Osculum Uteri*.

UTERI PROCIDENTIA, vide *Procidentia Uteri*.

UTERUS, *Loci*, *Matrix*, Gr. Δελφος, Υστερα. Νηδος Hesiod. & Homer. Γονη Hippocr. Μάτης, Αγγειον κυντήξιος Galeno. Est pars organica in abdominis inferiori parte, pelvi dicta, mulierum sita, quae in fundum, collum & vaginam dividitur. Ligamenta duo lata & totidem teretia habet. Substantia obtinet nervosam & fibrosam; crassitudo variat pro etate, & tempore gestationis foetus. Intus in fundo osculum habet, ex cuius cavitate menses profluunt, in quo & conceptio & generatio contingit: anterius vesicam habet, posterius intestinum rectum, & sic homo inter sterco & urinam nascitur. B. *De moeder / de lipf-moeder*. G. *Der leib, die bærmutter*, Gall. *La Matrice*.

A. *The Wombe, Matrixe*.

UVA, idem quod *Cion*.

UVA CRISP A, frutex est: volunt dici ab intortis, ferèque in circulum versis, (*Crispam* alii vocant) foliis & acinis quos producit. Latinus fortè *Uva Intorta* nuncuparetur. B. *Kruis-bezie-boom / stichel-bezien / kroeg-bezien / knoezelen*. G. *Kreefsz-beer*, *kræufsel-beer*, *kloster-beer*, *kraufsel-beer*, *stichel-beer*. Gall. *Grofeilles*. A. *Goose berry*.

UVEA TUNICA, dicitur & *Uviformis*, vide *Rhagoides*.

UVEA MEMBRANA, **A CINIFORMIS TUNICA**, sive **CHOROIDES**, est hæc tunica posterius oriunda à pia matre Nervi optici, & bulbus oculi ambiens immediatè sub Sclerotica, anterius ubi illa pellucida Corneam facit, ab ea reflectitur intus paulum, & perforatur apertura pupilla dicta, quæ ope muscularium longitudinalium & circularium fibrarum Iris contrahi & dilatari potest. B. *Drapf-bezie-vlieg*. G. *Das trauben hæutlein*. Gall. *l'UVÉE*. A. *The Grapelike membrane.* Mmm 5 UVU-

UVULARIA, vide *Laurus Alexandrina*.

VULNERARIA, vide *Traumatica*.

VULNERARIA, est planta, quæ habet caules pedem altos, tenues, rotundos, villosos, aliquantulum rubicundos, incurvatos : folia bina, cotæ adhærentia, Galeam referentia, sed magis medullosa, in parte inferiore villosa, in superiore albescens, flavescentia, viridia, saporis dulcis, subacris : flores in summitate ramorum crescentes in umbellam dispositi, leguminosi, flavi : calix tubulatus, turgidulus, lanuginosus, coloris argentei : flori succedit siliqua brevis fætâ semine subrotundo, in calice membranaceo floris recondita : radix longa, recta, lignosa, nigricans, saporis leguminosi : hæc planta crescit in montibus, Gall. *Vulneraire*.

VULNUS, solutio est continui, externo aliquo instrumento, scindente &c. recens in parte facta, cum cutis apertione : estque varium, tam ratione loci & partis affectæ, undè aliud nervi est, aliud carnis : quam instrumenti infilgentis, undè si ab aliquo acuto cæsim illud fiat, *Section* vel *Incisio*, si verò ab acuto punctum fiat, punctura, vel punctio dicitur. Gr. Τεραῦμα & Τεραῦμα. B. *En Wonde*. G. Eine wunde. Gall. *Playe*. A. A Wound, a Hurt.

VULSELLA, vide *Volsella*.

VULTUS, idem quod *Facies*.

VULVA, est *Pudendum Miliebre*, sive foramen majus dicitur, infra os pubis positum, vide *Cunnus*.

VULVA CEREBRI, est fovea quædam, inter eminentias cerebri, oblonga.

UVULA, vide *Cion*.

UVULÆ CASUS, vide *Cion*.

X.

X. ξ . In quibusdam scriptis Medicis denotat unciam. **XANTHIUM**, est planta, quæ habet caulem se quipedem altum, angulofum, villosum, punctis rubris notatum, ramosum, in latum se extendentem : folia Bar danæ, sed minora, viridia, in margine incisa leviter, saporis acris & aromatici : flores sunt flosculosi : fructus oblongus, aculeatus, vestibus adhærens, in duos acutos, rigidosque mucrones definens, qui distinctis loculis duobus totidem grana oblonga condit : radix parva, alba, fibris